



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt viduæ velum sibi imponere non debeant, inconsulto episcopo suo, & ne presbyteri eis imponere præsumant, quòd & episcopis non licet. xxxiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De monachis & monachabus, qui se sacrilega contagione miscuerint. Cap. XXIX.*

*Ex epist. Syrici papæ, ca. 6.*

**I**mpudicas detestabilesq; personas, monachorum scilicet atque monacharum, quæ abiecto proposito castitatis, illicita ac sacrilega cōtagione se miscuerunt, & abruptum conscientiæ desperatione perducta, de illicitis complexibus liberè filios procreauerūt, à monasteriorum cœtu Ecclesiarumque cōuentibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deslètes, purificatorio possint puritudinis igne decoqui, vt eis vel ad mortē saltem solæ misericordiæ intuitu per communionis gratiam potius subueniri.

*Vt non liceat Deo sacratis nuptialia iura contrahere. Caput XXX.*

*Ex cōcil. Chalced. cap. 16.*

**V**irginem quæ se Deo domino consecrauit, similiter monachum non licere nuptialia iura contrahere. Quod si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem, decreuimus vt habeat auctoritatem eiusdem loci episcopus, misericordiam, humanitatemque largiri.

*De his qui sanctimonialibus in matrimonium acceperint, vt separati sine spe coniugij maneat. Cap. XXX.*

*Ex epist. Pascuelis papæ, ca. 11.*

**H**i igitur qui sanctimonialibus sceminis in matrimonio sunt ad iniuriā Christi copulati, iuxta cōsuetudinem Christiani zeli separentur, & nunquam eis concedatur iugali vinculo religari, sed in pœnitentiæ se lamentis vehementer, dum viuunt, afficiant.

*De virginibus quæ prauaricate sunt. Cap. XXXI.*

*Ex decr. Gelasii papæ, ca. 10.*

**V**irginibus sacris temerè se quosdam sociare cogimus, & post dicatum Deo propositum, incestuosa & sacrilegâque miscere. Quos protinus æquum est à cōmunionis detrudi: & nisi per publicâ probatam pœnitentiâ omnino non recipi, sed tamē his viaticum seculo transeuntibus, si dignè pœnituerint, non negari.

*Vt viduæ velum sibi imponere non debeant inconsulto episcopo suo, & ne presbyteri eis imponere præsumant, quod non licet. Cap. XXXIII.*

*Ex cōcil. Roma. cap. 9.*

**S**taturum est viduas non debere velare. Simul & statutum est, vt si quispiam presbyterorum deinceps

huius constitutionis normæ contumaciter transgressor extiterit, scilicet vt aliquas viduas velare præsumat, quia hoc & episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus à presbyteris non velandis statutum est, vt si quis hoc facere tentauerit, tanquam transgressor canonum damnetur.

*Quòd viduæ sub nulla benedictione sint velandæ.*

Caput XXXIIII.

**N**Am de viduis sub nulla benedictione velandis, superius latius duximus differendum. Quæ si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerunt, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare. Sicut enim si se forsitan continere non poterant secuudum Apostolum, nullatenus nubere vetabantur, sic habita secum deliberatione, ipsam Deo pudicitia fidei debuerunt custodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus iniicere, sed solas adhortationes præmii sempiterni, pœnasq; proponere diuini iudicii, vt nostra sit absoluta cōscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cauendum quippe est, quòd de earum moribus, actibusque beatus Paulus testatur apostolus, quòd planius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quàm admoneri videatur.

*Ex decret.  
Gelasii  
papa. ca.  
21.*

*De viduis quæ semel sacrae conuersationis velamen suscipiunt.*

Cap. XXXV.

**V**idua quæ spontanea voluntate ab altari, sacrae conuersationis velamen suscipiunt, decreuit sancta synodus, in eodem proposito eas permanere. Non enim fas esse decernimus, vt postquam se domino semel sub velo consecrauerint, & inter velatas oblationes fecerint, iterum ei concedi spiritui sancto mentiri.

*Ex concilio  
Aureliano.  
cap. 3.*

*De viduis, vt nullus eas velare attentet.*

Caput XXXVI.

**V**iduas autem velare pontificum nullus attentet, prout constitutum est in decretis Gelasii, capitulo XIII. quod nec autoritas diuina, nec canonum forma præstitit. Quæ si propria fuerit voluntate continentiam professæ, vt in eiusdem Gelasii capitulo XXI. legitur, eius intentio pro se reddat rationem Deo: quia sicut secundum

*Ex concilio  
Mogunti.  
cap. 6.*